



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

48. An licitum sit Dominis offerre carnes servis infidelibus in dei ieiunii, vel illis imponere opera servilia in diebus festis? Ex p. 7. t. 7. r. 59. alias 58.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

# De Seruis, seu Mancipiis. Ref. XLVII. &c. 449

vitam est necessarium; restituere, non tenetur, nisi dominium eius quod restituendum est, semper penes creditorem remaneat: sed in hoc casu seruis, & dominus aequali extrema necessitate premuntur, & dominium eorum, quae seruis possidet, & quibus vel sibi, vel domino alimenta ministrare potest; semper penes dominum remansit; nam seruis domini capax non est, cum pro mortuo habeatur *l. seruientem ff. de regul. iur. l. intercedit, ff. de condit. & demonst. cum aliis concordantibus; & nulla in eius personam cadit obligatio, neque actiua, neque passiuia. l. in personam ff. eod. l. serui ff. de actioib. & obligat. l. nec seruis, ff. de pecul. ergo in aequali casu necessitatis potius domino, quam sibi seruis alimenta ministrare tenetur.*

2. Sed his non obstantibus affirmatiuae sententiae ego adhaereo. Dico igitur in casu praedictae aequalis necessitatis, posse seruum tuta conscientia potius sibi ipsi, quam domino alimenta ministrare. Et proba duobus medijs; Primo quia, etsi per seruitutem amittantur ea, quae a civili iure vnicuique conueniunt, ea tamen, quae a naturali iure cuique competunt, retinentur; sed conseruatio propriae vitae naturali iure ita cuique competit, vt licite quisque possit pro illius conseruatione alterum occidere, si aliter euadere non possit; ergo seruis, in aequali extrema necessitate casu cum domino constitutus, licite potest, domino postposito, sibi alimenta ministrare licet dominus eius fame sit periturus.

3. Secundo, quia regulariter secundum ordinem charitatis, plus diligenda est propria salus corporalis, quam corporalis salus proximi; nam, cum concurrant tunc bona alterius, & propria eiusdem ordinis, semper propria sunt praeferenda; sed in hoc casu concurrunt propria salus corporalis serui cum salute corporali aliena; quae est Domini; ergo regulariter a seruo praefenda est propria salus, & sic sibi, & non domino, in aequali necessitatis casu alimenta ministrare potest.

4. Dixi regulariter: nam si daretur casus, in quo salus, & vita domini esset Christiano populo, vel alicui Republicae necessaria, & salus & vita serui minime; tunc secundum eundem charitatis ordinem, teneretur seruis non sibi, sed domino alimenta ministrare; esset enim tunc vita domini, ratione publici boni, altioris ordinis, & ideo praefenda: nam ordo ipsius charitatis postulat, vt quae altioris sunt ordinis, praeferrantur. Non est tamen hic altior ordo attendendus ex conditione serui, vel libera; nam aliqui semper dominus praefendus esset, sed attendendus est respectu publici boni; nam etsi conditione dominus seruo sit maior, natura tamen aequales omnes sunt; & in naturali vita conseruanda non conditio, quae accidentaria est, sed ipsa natura, quae per se est, considerari debet, alijs regulis charitatis seruatis.

Ad doctrinam vero Nauarri, respondet Nauarra de Restitut. lib. 4. cap. 4. num. 28.

## RESOL. XLVII.

An serui possint parare mensam, & ministrare cibos Domino in die ieiunij. Ex p. 7. tract. 7. Ref. 58. alias 57.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue, quia hoc non est cooperari ad peccatum alterius, sed ad substantiam solam illius actus, nimirum, vt coena est comestio quaedam ad nutritionem, & sustentationem animalis. Item quia opus illud solum est officium, quod praestare solet seruis, vel famulus domino; aut ami-

cus amico, aut hospes hospiti suo, sic licitum est, ministrare mensae conuincinatorum, vel duorum Haereticorum, vel dominorum in cibo & potu, & epulis, ventrique indulgentium, vel aliorum peccatorum, dummodo non consentiamus peccato eorum, sed solum praestemus officium, vel serui vel famuli, vel amici, vel hospitis. Vide me ipsum in part. 5. tr. \* 7. Resol. 13.

\* Quae hic est sup. in tr. 5. Ref. 59. &c.

## RESOL. XLVIII.

An licitum sit Domino offerre carnes seruis infidelibus in die ieiunij, vel illis imponere opera seruilia in diebus festis? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 59. alias 58.

§. 1. **A**libi probabiliter affirmatiue respondi; quia Infideles sunt extra Ecclesiam, & non ligantur eius praecipis; & quod ad comestionem carnum in die ieiunij, me citato affirmatiua sententia tenet Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 2. num. 11. vbi sic ait. In diebus ieiunij licitum est ministrare carnes Paganis, & perpetuo amentibus, sicuti pueris ante usum rationis, vt cum Sanchez & Fagundez tenet Diana part. 1. tract. 9. resol. 42. ita Trullench. Quo ad opera seruilia idem tradit Pasqualigus in Decis. moral. Decis. 310. num. 2.

Alibi in Ref. quae nunc hanc sequitur, per tota, & in Ref. & 5. not. seq.

Quae nunc est in tom. 4. tr. 6. Ref. 67 §. vlt. &c.

## RESOL. XLIX.

An Dominus licite possit imponere seruo infideli vt opera seruilia exerceat in diebus festis? Idem est dicendum de perpetuo amentibus. Et docetur Paganis, & perpetuo amentibus fas esse ministrare carnes Diebus ieiunij, quia nulla lege Ecclesiastica obligantur? Ex p. 5. tr. 149 & Milc. 2. Ref. 7.

§. 1. **C**asus potest in praxi saepe accidere, & illud determinare noluit Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 12. numer. 18. Sed negatiua sententiam docet Anton. Fernandez Societatis IESV in instrum. confess. part. 3. mandament. 3. n. 16. vbi sic ait. Hazer que trabaje mi esclauo Moro, no es licito porque ninguna bestia puede llevar carga da y el esclauo por si no esta obligado a no trabajar, pero en orden a mi no ha de trabajar mandandose lo. Sic ille.

Sup. hoc & contento in hac Ref. in Ref. praerita & in Ref. not. vlt. huius Ref.

2. Verum ego dominum sic facientem de peccato mortali non audem damnare, quia abstinentia ab operibus seruilibus in diebus festis est praecipuum Ecclesiasticum, vt pater. Sed infideles, vt notat Granada in 1. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. disput. 6. n. 49. & alij communiter, non tenentur legibus Ecclesiasticis; ergo dominus seruum infidelem laborare in die festo faciens, non peccabit, quia seruis non peccat. Et ideo Paulus Layman. in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 5. numer. 3. docet, perpetuo amentibus fas esse opera seruilia diebus festis imponere, quod idem concederet quoad infideles, est enim in vtriusque paratio cum sint a legibus Ecclesiasticis soluti; vnde ego iple in part. 1. tract. 9. de ieiunio, resol. \* 42. cum Sancto, Sanchez, Azorio, & Suar. docui Paganis, & perpetuo amentibus fas esse ministrare carnes diebus ieiunij, quia nulla lege Ecclesiastica obligantur.

\* Sup. his in Ref. not. praerita, & seq.

\* Quae hic est in to. 4. tr. 6. Ref. 67 §. vlt. & cursum in alio §. eius not.